

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0405

0403

0409

0399

0414

0394

0454

0354

0504

0304

0904

Ende

Anfang

attigerit, quia cum careat aquis, nemo tantum saccum ducere potest de aqua, quod sibi sufficiat pro multis mensibus. Unde post solitudinem illam incipiunt montana altissima, quae si quis adscendere posset, in paradisi regionem veniret. Sed Deus posuit in viam flammeum gladium, i. e. immensum ardorem, tatus est enim ibi solis ardor et tanta siccitas, quod impossibile est hominem illa penetrare etiam habitis vitae (23a) necessariis, quae tamen penitus ibi deficiunt. Quidam tamen sanctorum patrum, ut S. Macarius Romanus et alii quidam, conatum quasi ultra naturam facientes post desertum hoc venerunt in delicabiles regiones, sed progredi contra paradisum nequaquam poterant. Dicitur etiam solitudo semipetra, pro eo, quod numquam fuit nec erit humanis usibus apta. Insuper solitudo terribilis atque horribilis nuncupatur: terribilis propter montium altitudinem et alienam formam; horribilis vero propter vallum et torrentium immensam profunditatem. Quarto dicitur regio illa imago mortis, pro eo, quod omnia, quae videt homo per dersertum, mortem minantur, cum nihil in se habeat, quo vita humana sustentari queat, montes enim et colles, valles et torrentes steriles sunt et mortis insignia praeferunt. Color etiam terrae dissimilis est colori terrae habitabilis. Reluent enim ex ea umbrae mortis propter adustionis suae nigredinem, nec vivum quidquam in terra illa est, nisi quod vitae humanae insidiatur. Insuper in hujusmodi (rebus) torrentibus pestifera illa coloquintida, quae 4. Reg. 4. mors in olla dicitur, copiose crescit, quam qui comedit moritur. Et ob hanc et alias causas regio illa imago mortis nominatur. Quinto eadem ratione nominatur regio illa terra sterilis, nihil enim ibi gignitur, ut habetur Numeror. 20. Sexto dicitur inaquosa, quia caret aquis, et si aquae aliquae in profundioribus reperiuntur, plenae sunt vermbus et putridae, ideo terra sitis dicitur. Si vero in plano aquae sunt ex aliqua emanatione, plenae sunt serpentibus, si dulces sunt; si amarae sunt impotables existunt. Quandoque enim vallis aliqua humorem ex semetipsa gignit, sed inter semet ipsum eum servat, paludem profundam facit et in his paludibus pertanseuntes periclitantur. Ex defectu aquae saepe murmuraverunt filii Israel, sed et nos